[illegible]
Director Dr. Krüger

empfiehlt sich
ergebenst

Die Schulbehörden.

# Jahresbericht

über das

# Karl Friedrichs-Gymnasium

zu Eisenach

von Ostern 1858 bis Ostern 1859

vom Director


Dr. Karl Hermann Funkhänel,

[illegible]


Beigefügt:

eine Abhandlung des Professor Dr. [illegible]

Quaestionum Platonicarum specimen II: de Atlantide insula

---


Eisenach 1859.

[illegible]

# Jahresbericht

über das

# Karl Friedrichs-Gymnasium

zu Eisenach

**von Ostern 1858 bis Ostern 1859**

erstattet

von

dem Direktor

**Dr. Karl Hermann Funkhänel,**

Großherzogl. Sächs. Hofrath und Ritter des Ordens vom weißen Falken I. Abth.

Voran steht

eine Abhandlung des Professor Dr. Schwanitz:

Quaestionum Platonicarum specimen II. de Atlantide insula.

**Eisenach 1859.**

Gedruckt in der privilegirten Hof-Buchdruckerei daselbst.

# I.

Initio Timaei Socratem videmus conferentem sermonem cum Timaeo, Hermocrate, Critia. Socrates enim rogatus, ut in memoriam revocaret auditoribus, qualis et e qualibus viris optima videretur posse exsistere civitas, in colloquio deinceps facto, quam hesterno sibi finxerat rempublicam, primoribus regustavit labris. Quo cum munere functus esset Socrates, partes dicendi suscepit Critias. Hic enim, Soloni cognatus per Dropidam proavum, ab avo Critia argumentum acceperat carminis, quod Solon olim de magnis ab Atheniensibus rebus gestis ex Aegypto redux attulisse tradebatur. Dicam autem, inquit Critias, prout rem audivi veterem ab avo meo Critia. Agebamus forte diem festum Apaturiorum Cureotin, praemia nobis pueris ad carminum recitandorum certamina a patribus erant proposita. Recitatis multorum poetarum in iisque Solonis carminibus, exstitit avus meus Critias, et mentionem fecit illius carminis, quod si Solon absolvisset, facile et Homeri et Hesiodi laudem aequasset poeticam. Quale vero argumentum fuerit carminis, et quomodo Solon in Aegypto commorans a Saiticis sit exceptus sacerdotibus quaeque retulerit, iam nunc vobiscum sum communicaturus.

Est in Aegypto in Delta illo, cuius circum verticem Nili scinditur flumen, urbs maxima Sais, cuius origo ad deam refertur, Aegyptiorum lingua *Νηῒϑ*, Graecorum *Ἀϑηνᾶ* vocatam. Solonem autem illuc profectum sacerdotes et magno habuerunt in honore, et res antiquas sciscitantem ad ea deduxerunt, quae longe ante Deucalionis diluvium in Atheniensium patria essent facta. Magna aliorum populorum exitia Aegyptii effugerunt: Nilus enim montiumque iuga Nili cursum sequentia effecerunt, ut Aegyptii essent in tuto, quare apud eos antiquissima rerum monumenta asservarentur reliquis populis plane ignota*). Sic Athenienses ignoraverunt, in sua terra longe ante Deucalionem clarissimum fuisse hominum genus, et urbem Athenas rebus domi militiaeque gestis excelluisse, eosque fugit, et Athenas et Saim ante novem milia annorum a communi dea esse conditam. Atque quod inter Aegyptios notissimum fuit eorum commemoratum annalibus, cives Athenienses potentiae superbe e mari Atlantico et in Europam et in Asiam invadenti finem olim imposuerunt. Tum enim mare illud erat navigabile, insula obiecta eius ostio, quod columnae Herculis vocatur. E qua insula, quae maior erat Libya simul et Asia, qui tunc itinera faciebant, ad alias poterant transire insulas ex iisque ad totam terram continentem e regione sitam, quae illud mare cingebat. Nam hoc, quod intra illud ostium patet mare internum, portus esse videtur, aditum habens angustum, illud vero mare terramque ei circumiectam verissime continentem dixeris. In illa autem insula, cui nomen impositum est Atlantis, exstitit magna et admirabilis regum potentia, dominans non solum in tota insula, in multis aliis insulis et continentis partibus, sed etiam in Libya usque ad Aegyptum et in Europa usque ad Tyrrheniam. Quae potentia in unum congregata et vestram et nostram terram, atque omnia, quae intra ostium sita erant, una conata est sibi subiicere expeditione. Tum Atheniensium civitas prae omnibus aliis conspicua fuit virtute et viribus: quae excellens et animo et rei militaris peritia, principatum tenens Graecorum, et a sociis deserta in summum veniens discrimen superior denique fuit contra hostes, et repulit servitutem a suis civibus, omnesque reliquos, qui intra terminos habitabant Herculeos, prolixe et libenter vindicavit in libertatem. Posteriore deinde tempore, ingentibus terrae motibus et inundationibus exortis, uno die et nocte fatali omnes nostrae copiae et universa insula Atlantis eodem sunt hausta terrae hiatu. Mare autem invium pervestigare non possumus, luto, quod insula effecit considens, obstante admodum et impediente.

---

*) N. Bachius, Solonis Atheniensis carminum quae supersunt. Bonnae 1825. p. 39 sqq.

Haec hactenus. Habes carminis, quod creditur, Solonis et Timaei argumentum, quod quidem ad insulam spectat Atlantidem. Quod autem Critias in Timaeo p. 26, A. promiserat *), se quando, quae obiter tantum et summatim narrasset, accuratius esse descripturum, in dialogo, qui inscribitur Critias, non perfecto et absoluto exponere conatur et demonstrare. Atque cum Critias multum temporis doctrinae comparandae et poeseos maxime studiis tribuisset, Critiae, quem interpretem elegit Plato, indolem poeticam in descriptione insulae Atlantidis animadvertimus expressam. Sed ad Critiam ipsum pergamus inspiciendum. Iidem, qui in Timaeo, nobis obviam veniunt amici sermocinantes. Post quam Timaeus, quas susceperat dicendi partes, iam transegit, a longa quasi via requiescere sese declarat, et Critiae pluribus verbis munus defert, ut, quod pollicitus sit, insequatur longius. Consentientibus vero, qui ad colloquium venerant, Socrate et Hermocrate, Critias ad describendas Atheniensium hostiumque vires et respublicas de amicorum sententia consilio instituto iterum se convertit. Antea iam Socrates affirmaverat, eandem quam Hermocrati, si suas sustineret partes, veniam ipsi datum iri Critiae. Sed audiamus Critiam hunc enarrantem, quemadmodum olim omnia sint facta, invocato, quod bonae est consuetudinis apud Platonem **), deorum inprimis Mnemosynes auxilio.

Diis universum orbem terrarum aliquando secundum loca ita inter se partientibus, ut nullae fierent contentiones, Vulcano et Minervae, quippe qui communem haberent naturam, terra data est Atheniensium. Hi autem dii, eodem orti patre, sapientiae artiumque eodem coniuncti studio, indigenarum in sua terra animos ad civitatem bene constituendam adverterunt: quorum nomina quidem adhuc sunt servata, rerum gestarum vero memoria propter eorum, qui facta tradita accipiebant, interitum et novem milium annorum spatium sensim obscurata est atque paene oblivione obruta. Relinquebatur enim genus hominum montanum atque illiteratum, quod nomina quidem eorum, qui in patria potentes fuerant, audiverat, rerum contra gestarum, uti diximus, parvam praeterea habebat notitiam. Dico autem haec inde colligens, quia sacerdotes Saitici in veteris belli narratione virorum virtutis et sapientiae gloria praestantium et mulierum, quae illo tempore antiquissimo virorum tenebantur belli studiis, nomina tantummodo commemoraverunt. Cives vero, qui tum terram habitabant Atheniensium, non omnes idem suscipiebant et administrabant negotium: alii enim in operibus versabantur faciendis et in victu ex terra quaerendo erant occupati, alii rem colebant militarem, alii denique, qui separatum a reliquis collocaverant domicilium quorumque nemo proprium quicquam possidebat, sapientium appellabantur nomine. Sic ad Reipublicae exemplum tres illi civium ordines erant distributi. Sed etiam fines antiquissimae Atheniensium civitatis latius quam postea propagabantur, totaque eorum terra tam opima erat et fertilis ut et ubertate agrorum et varietate omnium, quibus abundaret rerum cum Athenis, quae nunc sunt, antecelleret, tum magnum posset exercitum alere agricultura vacantem.

Atque hi quidem veterrimi civitatis Atheniensium incolae, cum suam ipsorum rempublicam totamque Graeciam iuste administrarent, per universam Europam atque Asiam et corporum pulchritudine et omnis generis virtute conspicui fuerunt. Quas vero res gesserint, quibusque bellum intulerint, deinceps vobiscum volumus communicare. Sed ne miremini, quod in enarrando eorum bello graeca barbarorum hominum nomina auditis: Solon enim, quae Aegyptiorum sacerdotes nomina usurpaverant, in nostram transtulit linguam. Quae a Solone literis erant consignata, et avus meus et ego ipse servavimus, eaque, cum puer essem, perlegi diligenter. In iis igitur perlegendis et pertractandis animum habens occupatum in illam incidi orbis terrarum partitionem. Neptuno sorte assignata erat insula Atlantis. In media hac insula antiquissimo tum tempore patebat planities omnium facile pulcherrima et fertilissima, ad cuius oram mons erat editus, in eoque habitabant Euenor cum uxore Leucippe. Quorum quum filiam Clitonem Neptunus

---

*) G. Stallbaum. prolegom. de Critia Platonis p. 373.

**) Kritias übers. von Fr. Susemihl. Stuttgart 1857. p. 917: Durch die Anrufung dieser Gottheiten wird darauf hingedeutet, daß auch dem Kritias nur eine Dichtung oder ein Mythos in den Mund gelegt werden soll. — Die Göttin der Erinnerung, deren Erwähnung hier außer dem von Kritias selbst angegebenen Grunde um so passender ist, als sie für die Mutter der Musen galt, weil, wie Wagner es ausdrückt, „vor Erfindung oder Einführung der Schreibekunst das Gedächtniß das einzige Ueberlieferungsmittel war."

in matrimonium duxisset, collem, in quo domicilium collocaverat, munivit ita, ut nullus hominibus esset accessus, namque naves et navigatio adhuc erant incognita. Omni deinde insulâ in decem partes divisa filiorum gemino partu progenitorum natu maximo maternam regionem attribuit sortem, quae optima erat et maxima, illumque regem creavit fratrum geminorum, sed horum cuique etiam imperium dedit late patens, ipsosque fecit imperatores. Natu maximo nomen inditum est Atlas, ab eoque insula et mare nomen duxit, nomina ceterorum filiorum fuerunt haec: geminus Atlantis frater, cui extrema insulae pars ab Herculis columnis usque ad regionem Gadiricam obtigerat, Graecorum lingua Eumelus, patria Gadirus dictus est, et praeter eum gemino nati erant partu: Ampheres, Euaemon, Mneseus, Autochthon, Elasippus, Azaes, Diaprepes. Qui omnes eorumque posteri et in multis maris insulis dominabantur, et imperium usque ad Aegyptum et Tyrrheniam porrigebant. Atque ut omnino Atlantis genus et multitudine excellebat et dignitate, ita hoc in primis instituto servabantur eius opes, ut reges summum traderent imperium primo cuique genito. Sed etiam multis hi reges affluebant rebus, quae ex externis iis advehebantur terris, quarumque insula Atlantis suppeditabat copiam. Haec enim insula abundabat cum omnibus, quae e terra effodiuntur, metallis, tum miro quodam aere, cui nomen erat orichalco, ab hominibus, qui id temporis degebant, secundum aurum permagni aestimato. Quaecunque vero alunt terrae animalia fera et mansueta, ea omnia in insula reperiebantur, neque desiderabant eius incolae arborum et frugum varia genera nobiliora. Quaecum Atlas eiusque posteri a terra accepissent, regias, portus, navalia, templa aedificarunt, marisque orbes, qui veterem circumdabant eorum urbem, ita iunxerunt pontibus, ut sibi munirent viam ex regia arce atque ad eam ducentem. Hanc regiam, quae in dei et maiorum sede condita est, ita exstruxerunt, ut et ambitus magnitudine et ornamentorum pulchritudine admirabile visu et prorsus stupendum fieret opus. Quod deinde ad incolas regiae civitatis attinet, haec erat facta dispositio, ut qui in planitie habitarent viri bello idonei, quique fundum possiderent, exercitui praeberent duces, multitudo autem infinita eorum, qui montes aliaque colerent loca, his ducibus pareret et obediret. Hunc quidem tenebant ordinem in regia civitate, in reliquis novem civitatibus rei militaris ratio cum illius administratione dissimilitudinem habebat nunc non subtiliter prosequendam.

Sed etiam eorum, qui potestatem gerebant, iura accurate erant a principio definita. Decem enim regum et ducum singuli in suis finibus in suisque oppidis regnabant, atque imperium in viros et in leges plurimas habebant, quos vellent, punientes et interficientes, inter ipsos autem imperium erat et communio secundum mandata Neptuni in dei templo in columna inscripta orichalca. Huc mediam in insulam conveniebant certis quibusdam temporibus, et sacris Neptuni summa religione cerimoniaque confectis cum de communibus statuebant rebus tum inquirebant studiose, num quis ipsorum delictum commisisset. Iudicio facto, quas pronuntiaverant sententias, iudices in aurea inscribebant tabula, atque cum vestibus, quibus usi erant, pretiosissimis, memoriae tradebant sempiternae. Erant quoque multae aliae leges de praemiis singulorum regum propriis, iisque haec inprimis sancita, ne unquam sibi ipsi inferrent arma, atque ut omnes sibi venirent auxilio, si quis evertere conaretur stirpem regiam, omnesque de bello et aliis rebus communia caperent consilia, principatum tribuentes generi Atlantico.

Exercitum igitur huius insulae tam potentis olim et tam felicis contra patriam nostram duxit deus, bellique haec fere fuit causa. Per multa enim saecula, quamdiu vigebat in iis natura divina, insulae cives dicto audientes erant legibus, affecti amice in numen divinum. Unde animum retinebant a deo ingeneratum et erectum homines frugi ac modesti, omnia praeter virtutem vili pendentes, divitiasque, quas a maioribus acceperant, quoddam existimantes onus. Quum vero divinae particula mentis in iis esset exstincta, indolesque plus ponderis haberet humana, a perenni degenerarunt virtute maiorum, et multis sese inquinaverunt flagitiis iniusto lucro et potentia impletos. *Θεὸς δὲ ὁ θεῶν Ζεὺς ἐν νόμοις βασιλεύων, ἅτε δυνάμενος καθορᾶν τὰ τοιαῦτα, ἐννοήσας γένος ἐπιεικὲς ἀθλίως διατιθέμενον, δίκην αὐτοῖς ἐπιθεῖναι βουληθείς, ἵνα γένοιντο ἐπιμελέστεροι σωφρονισθέντες, ξυνήγειρε θεοὺς πάντας εἰς τὴν τιμιωτάτην αὐτῷ οἴκησιν, ἣ δὴ κατὰ μέσον πάντος τοῦ κόσμου βεβηκυῖα καθορᾷ πάντα, ὅσα γενέσεως μετείληφε, καὶ ξυναγείρας εἶπεν* . . . . .

## II.

Sic Critias in dialogo finem fecit dicendi. Si vero huic dialogo ultima lima deest, colligere inde nequimus *), totum librum a philosopho esse abiudicandum: etenim vere germanus est hic Critias, neque causam habes satis gravem, qua adductus eum opineris subdititium. Neque tamen absoluta est dialogi pars extrema, sive quod morte prohibitus est Plato, quominus munus expleret susceptum, sive quod ipse Critiae conficiendi consilium abiecit. Quae desiderantur, nullo possumus addere negotio: sine dubio enim iis, quae antea erant exposita, addere voluit philosophus, quemadmodum sua ipsorum culpa Atlantidis cives vitiis periissent suis. Sin autem spectamus universum narrationis argumentum, a graecis et romanis scriptoribus de eo videmus esse mentionem factam. Atque nonnulli quidem, ut Strabo, deridere prorsus videntur illos, qui insulam Atlantidem re vera fuisse statuant **). Neque aliter iudicat Longinus, qui, quae de insula narrat philosophus, ad res reiicit commentitias, quibus nulla sit fides adiungenda ***). Sed non omnes veteres scriptores in eadem fuerunt sententia. Iam Plutarchus in vita, quam scripsit Solonis, reliquit incertum, num factis nitantur res ab Atlantigenis gestae, an fabulis, quibus nullam debeamus auctoritatem †). Neque ambigit, sed terrae motu in mari Atlantico insulam fuisse exstinctam tota Europa ambitu maiorem dilucide planeque contendit Ammianus Marcellinus ††). Eiusdem quoque partis fuerunt Tertullianus et Arnobius, doctrinae defensores christianae: uterque magnam memoriae prodidit eluvionem, qua insula funditus interiisset cum hominum vi infinita †††). Neque Crantor ille, superioris aetatis vir, in Academia vel inprimis nobilis, ab iis dissentire videtur, quos postremo nominavimus loco, neque Marcellus quidam, qui Aethiopica scripsisse dicitur, si quidem Proclo fidem habemus, qui eos in eandem censet adductos esse opinionem. Aliam vero deinde et diversam ab iis viam ingressi sunt viri docti, qui Neoplatonicorum scholae erant addicti *†). Non tam historiae repererunt vestigia in illa Atlantidis commemoratione, quam continuas, quibus philosophus in enarrando esset usus, translationes. Alii igitur bello Atlantigenarum contra Athenienses gesto tecte significasse Platonem opinati sunt stellarum inerrantium et vagarum partes adversas, alii deinde animorum vel daemonum bonorum et improborum pugnam, alii denique indicatam esse voluerunt victoriam de Persis reportatam.

---

*) J. Socher, über Platons Schriften. München 1820 p. 369 sqq. K. Fr. Hermann Gesch. der Plat. Philos. Heidelberg 1839. p. 546.

**) Strabo Geogr. 2, 3: *Τὸ δὲ ἐξαίρεσθαι τὴν γῆν ποτε, καὶ ἵζήματα λαμβάνειν καὶ μεταβολὰς τὰς ἐκ τῶν σεισμῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων, ὅσα διαριθμησάμεθα καὶ ἡμεῖς, ὀρθῶς κεῖται παρ' αὐτῷ* (i. e. *Ποσειδωνίῳ*)· *πρὸς ὃ καὶ τὸ τοῦ Πλάτωνος εὖ παρατίθησιν, ὅτι ἐνδέχεται καὶ μὴ πλάσμα εἶναι τὸ περὶ τῆς νήσου τῆς Ἀτλάντιδος, περὶ ἧς ἐκεῖνος ἱστορῆσαι Σόλωνά φησι, πεπυσμένον παρὰ τῶν Αἰγυπτίων ἱερέων· ὡς ὑπάρχουσά ποτε ἀφανισθείη, τὸ μέγεθος οὐκ ἐλάττων ἠπείρου· καὶ τοῦτο βέλτιον οἴεται λέγειν, ἢ διότι ὁ πλάσας αὐτὴν ἠφάνισεν, ὡς ὁ ποιητὴς τὸ τῶν Ἀχαίων τεῖχος.* cf. Fr. Susemihl Iahn. annal. 1855 p. 376. Th. H. Martin, études sur le Timée de Platon t. II. p. 259, 320. Paris 1841: „Après avoir dit ironiquement que Posidonius cite fort à propos la destruction de l'Atlantide comme exemple des envahissements de la mer, Strabon ajoute: Il aime mieux croire cela que d'admettre que l'Atlantide a été anéanti par celui qui l'avait formée, comme autrefois la muraille des Achéens par le poète — M. Stallbaum a donc tort de compter Strabon au nombre de ceux qui n'ont pas osé contester la vérité du récit de Platon.“ Bachius contra l. c. p. 43 a Martino tota dissentit sententia.

***) Th. H. Martin l. c. p. 259.

†) Plut. Sol. c. 31: *ἀψάμενος μεγάλης τῆς περὶ τὸν Ἀτλαντικὸν λόγον ἢ μῦθον πραγματείας.* Plin. hist. nat. 2, 90: In totum abstulit terras, primum omnium ubi Atlanticum mare est, si Platoni credimus, immenso spatio. — Martinus (l. c. p. 322) invectus est in Bachium et Letronnium, qui pro certo sumsissent, carmen Atlanticum a Solone fuisse iam adumbratum.

††) Ammian. Marcell. 17, 7: ut in Atlantico mari Europaeo orbe spatiosior insula, et in Crissaeo sinu Helice et Bura, et in Ciminiae insulae parte oppidum Saccumum, ad Erebi profundos hiatus abactae, aeternis tenebris occultantur.

†††) Tertull. apologet. adv. gent. XL: Memorat et Plato maiorem Asiae et Africae terram Atlantico mari esse ereptam. Arnob. adv. nat. 1, 5: Ut ante milia annorum decem ab insula quae perhibetur Atlantica Neptuni, sicut Plato demonstrat, magna errumperet vis hominum, et innumeras funditus deleret et exstingueret nationes, nos fuimus causa.

*†) Martin. l. c p. 259. 291.

# III.

**Ita fere fuerunt sententiae comparatae, quas de Atlantide tulerunt scriptores veteres. Temporis deinde decursu permagnus sane fuit numerus eorum, qui in eodem sunt versati argumento. Atque quamquam post Martini, quam in disputatione monstravit, curam ac diligentiam et post Susemihlii iudicium, quod de Noroffii libro constituit, subtile et sincerum*), supersedere possumus omnes, qui de Atlantide fecerunt verba, dicere et enumerare; operae tamen pretium sit narrare summatim, quas et superiore et posteriore tempore de hac re secuti sint viri docti sententias, etsi reperiuntur multa, quae tanquam absona, quibus nihil videatur esse absurdius, spernas utique et reiicias. Ut igitur minus graves omittamus opiniones, quae seculis prolatae sint peractis, Baerius probare studet, nomen Atlantidis idem significare, quod athletam, idemque igitur esse quod luctatorem et virum fortem. Omnium vero antiquitatis virorum nullum esse nationis principem, cui hoc nomen maiore inditum sit iure, quam Israeli, gentis Iudaicae antistiti. Tempus deinde, quo Atlantica sit facta expeditio, terram, unde Atlantigenae venerint et quo sint profecti, denique sacra, quae apud Atlantidis conficiantur incolas, eorumque reipublicae formam tam apte quadrare in Iudaeorum fata et fortunas, ut Plato videatur prophetarum descripsisse libros**).**

**Atque omnibus mira narravit deinde Baillius, Francogallorum clarus astronomus. Non in Iudaea reperit hic vir doctus Atlantigenarum vestigia, uti Baerius, cuius ingenio multum impertit laudis, sed in maris glacialis insulis sedes collocavit primas atque domicilium. Inde cum Phoenicibus illos ait penetrasse per totam Asiam ac descendisse deinde e Caucaso, ubi Herculis fuissent columnae, posteaque tenuisse terram inter mare patentem et Euphratem***).**

**Neque minus insulse interpretatus est, quae Plato de Atlantide narravit, Noroffius Petropolitanus. Explicare enim conatus est Noroffius res gestas Atlantigenarum tum argumentis e bibliis sacris petitis, tum fontibus, unde hausit, Arabum. Non vero adnumerat Noroffius, quae de insula exposuit Plato, rebus fictis et commentis, imo ea comparat cum iis, quae biblia nos doceant sacra de primis hominum domiciliis, quaeque a philosophi opinione omnino non dissentire sibi persuadet†). Sed alia quoque nobis prodit vir**

---

*) Mart. l. c., Fr. Susem. l. c.

**) Atlantis, histor.-krit. Versuch über die Atlantiker, in welchem die Aehnlichkeit zwischen der Geschichte dieses Volks und der Geschichte der Israeliten gezeigt wird. Aus dem Französ. des H. Fr. K. v. Baer Frankfurt 1777 p. 1: „Alle alten Schriftsteller, welche der Atlantiker erwähnen, sind in Betracht des Namens ihres ersten Oberhauptes darin einig, daß sie selbiges (Ἄτλας) Atlas nennen. Wenn man die buchstäbliche Bedeutung dieses Namens aufsucht, so findet man, daß es gleichviel bedeute als Athleta, folglich zu übersetzen sei Kämpfer, Ringer, ein tapferer Mann. Unter allen Völkern des Alterthums findet man kein Oberhaupt einer Nation, dem dieser Name mit größerem Rechte beigelegt werden könne, als dem Israel, Oberhaupt des jüdischen Volkes, Enkel des Abraham und Vater der 12 Stämme, in welche das Volk getheilt war." cf. etiam p. 76 sqq. Cum Baerio consentiunt nonnulli alii, quorum nomina legas apud Mart. l. c. tom. II. p. 271 sqq.

***) Atlantis. Lettres sur l'Atlantide et sur l'ancienne histoire de l'Asie par M. Bailly. Paris 1779. p. 112: „Le long de la mer, où l'on trouve les villes commerçantes de Tyr et de Sidon, sont la Phénicie et la Judée — Nous demandons l'île Atlantide; ce pays entre l'Euphrate et la mer n'est point une île, et le récit de Platon ne nous parait laisser aucune équivoque là-dessus. — p. 394. Les Phéniciens, ces hardis navigateurs, étonnant le monde par leurs courses, conservant le culte du Soleil et le souvenir de tous les chefs des Atlantes, étaient sans doute descendus avec eux du Caucase, n'étaient peutêtre que les Atlantes mêmes sous un nom changé, et avaient comme eux leur patrie dans le Nord, où les langues nous montrent l'origine de la navigation. p. 410. Quand on se rappelle que Tacite nous indique des colonnes d'Hercule dans le Nord, que tous les témoignages des anciens semblent y placer l'Atlantide, lorsqu'on voit dans l'Asie une division marquée et toujours subsistante entre les peuples du Nord et les peuples du Midi; on ne peut méconnaitre cette même division dans les expressions de Platon, qui dit des colonnes d'Hercule tout ce que nous avons dit du Caucase. p. 425. Je crois vous avoir suffisamment prouvé que les Atlantes ne sont venus que par l'Asie, qu'ils étaient descendus du Caucase. Plutarque se joint à moi, pour vous montrer les Atlantides, le berceau de ces peuples conquérants dans une des îles de la mer glaciale."

†) A. S. von Noroff, die Atlantis nach griechischen und arabischen Quellen. Petersburg 1854. p. 52: Es darf also auch nicht befremden, wenn wir in der Erzählung Platos, die auf ägyptischer Tradition beruht, Anklänge aus ursprünglich hebräischen

ceteroquin magna instructus doctrina: est nimirum nihil tam incredibile, quod non dicendo nobis facere audeat probabile. Quodsi eius assentamur sententiae, non prohibemur Platonis verbis, quippe quibus Atlantigenae ultra Herculis collocati sint columnas, quominus aliam fere eorum quaeramus sedem. Erant enim in ostiis Nili columnae Herculis, erant in Ponto Euxino, mythis antiquissimis Nili nomen confundebatur cum Oceano. Europa et Asia olim cohaerente mare medium magnam erat partem terra continens, Atlantis ipsa cum insulis, quae ad imperium pertinebant, vicinis, totam, quae a Cypro usque ad Siciliam patebat, maris regionem occupabat. Atlantide igitur Graeciam adiacente factum est, ut contra gentem finitimam bellum illud Athenienses conficerent exitiosum: quod si contra populos gerere voluissent longinquos, non eadem iis data esset facultas *).

Haec quidem sunt nonnulla, quae Noroffius ad commendandam suam opinionem attulit argumenta: reliqua, quae apud libri auctorem inspicias, praeterimus, ut etiam aliorum sententias percurramus. Venimus iam ad viros doctos, qui disputatione magis probabili usi sunt. In iis Stallbaumius, vir de Platone praeclare meritus, O. Rudbeckii commemoravit sententiam, qui Atlantidem esse Sueciam censuisset, idemque Kirchmaieri mentionem fecit, qui illa designari putasset extremos Africae tractus austrum atque occidentem versus iacentes. Si fidem habemus viro docto, in medio est verum situm, Tiedemanni aliorumque opinio, qui omnia a Platone conficta esse arbitrentur, non omnino pro vera habenda. Fabulae Romanensi simillimus videtur esse Critias historiae fundamento non prorsus destitutae, et si situm quaerimus Atlantidis, non ignoramus, iam antiquissimis Asiae populis incertum de America rumorem fuisse allatum.

Sic de America cogitavit Stallbaumius, etsi res ipsa non clara laetatur luce **). Aliqua autem ex parte consentientem habet Alex. Humboldtium ***). Ut Stallbaumius, doctorum Nestor Atlantidem non in fabulas refert, quae omni careant specie verisimilitudinis, quaeque ducantur despicatui et putentur pro nihilo, veruntamen locum certum, quem ille voluerit, insulae dari non posse pro certo habet. Quod vero deinde affirmavit Humboldtius, famam de Atlantide iam diu percrebuisse, atque sexto ante Christum seculo in ore atque sermone fuisse omnium †), damus ei et concedimus libenter: contra quod Boeckhium secutus a Minervae peplo in parvis Panathenaeis circumlato, quod victoriam Atheniensium de Atlantigenis reportatam vel intextam vel depictam habuisset, argumentum repetiit summae vetustatis, non eodem assensu nostro comprobamus. Scholiasta enim quidam, qui primus illam fabulam narravit, non intellexerat Procli sententiam et falsam de peplo circumlato imbiberat opinionem ††).

---

Sagen vernehmen. So erinnert die Art und Weise, wie Plato von den Ansiedlungen der ersten Menschen auf den Inseln spricht, an Gen. 10, 5. p. 48: Was Plato in Solons Namen von der Atlantis berichtet, gehört in das Gebiet der Urgeschichte des Menschengeschlechtes. — Und wo könnte man die Lösung eher finden, als in dem Pentateuch, dem ersten und ältesten aller erhaltenen Bücher, die bei der Entwickelungsgeschichte der vorderasiatischen und europäischen Culturvölker in Betracht kommen?

*) Noroff. l. c. p. 22. 59. 66. 69. 71.

**) Ab aliis quoque praeter Stallbaumium Americam esse significatam docent nos Bachius l. c. p. 55 et Schmidt., Bruchstück einer Verdeutschung des Plat. Dialogs Timäos. Naumburg. 1839 p. 8. Progr.

***) Kritische Untersuchungen über die historische Entwickelung der geographischen Kenntnisse von der Neuen Welt und die Fortschritte der nautischen Astronomie in dem 15. 16. Jahrhundert von Al. v. Humboldt. Aus dem Französ. übers. von Dr. J. L. Ideler 1. Bd. Berlin 1836 p. 110: Die Mythen der Völker, welche der Geschichte und Geographie beigemischt sind, gehören nicht durchgängig in das Gebiet der idealen Welt — das große Festland jenseits des Kronischen Meeres und die Atlanten des Solon, welche die Einbildungskraft der Zeitgenossen des Columbus beschäftigten, haben ohne Zweifel niemals die örtliche Realität gehabt, welche man ihnen anwies; man muß sie aber deshalb nicht in die sentina fabularum werfen.

†) Humboldt. l. c. p. 112: Die Sage von der Atlantis oder einem großen westlichen Festlande reicht mindestens in das 6. Jahrhundert vor unserer Zeitrechnung hinauf, selbst wenn man nicht zugestehen will, daß sie aus Aegypten nach Griechenland verpflanzt wurde, sondern sie einzig und allein als ein Erzeugniß von Solons dichterischem Talent betrachtet.

††) Al. v. Humboldt l. c. p. 158: Nach der Bemerkung des großen Kenners und Forschers des gr. Alterthums Böckh (A. Boeckh trag. gr. princ. p. 193 sqq.) ist es hauptsächlich die Erwähnung des Atlantenkriegs an den kleinen Panathenäen, welche für das hohe Alterthum der Ueberlieferung von der Atlantis spricht und den Beweis dafür liefert, daß nicht alles in dieser Mythe Erdichtung des Plato ist. cf. Fr. Creuzer Symbolik Th. 3 p. 417 sqq. — K. Fr. Hermann l. c. p. 704: — und es ist unbegreiflich, wie sich neuere Alterthumsforscher durch das Beispiel des ungeschickten Scholiasten p. 395 B. verleiten lassen können, Proklus die Angabe unterzulegen, daß an den kleineren Panathenäen der Peplus der Athene mit der Darstellung des Kampfes der Athener und Atlantiner geschmückt worden sei, oder gar wie Bach diesen Kampf in den Sculpturen der berühmten Dresdner Pallas

Unum etiam restat ad enumerandos, qui de Atlantide locuti sunt, viros doctos, ut redeamus ad eos, qui quam maxime ad veritatem dixerunt accomodate. Quorum alter Martinus Francogallus, omni doctrina ornatissimus, in amplo libri sui excursu varias et discrepantes sententias omnes disputavit ita, ut faceta quadam et eleganti ironia uteretur. Postquam aliorum excussit opiniones, argumentatione satis probabili haecce fere conclusit:

Quae Plato primus de insula exposuit Atlantide, eorum origo invenienda est in sacerdotum Saiticorum testimoniis, a philosopho in lucem prolatis et patefactis. Quia vero haec erat sacerdotum consuetudo, ut Graecis fraudem facere eaque suae utilitati servire studerent, non dubium est, quin haec quoque eorum narratio sit et inventa et adornata. Etenim si dixissent verum, locus, quo insula fuisset, nobis quaerendus esset non in Africa neque in mari glaciali neque in Palaestina, sed in maris, quod ultra Herculis columnas patet, immenso spatio. Sed alio quoque adducimur argumento, ut refellamus sacerdotum mendacium et coarguamus. Fabula enim Atlantidis docemur, tempore, quo haec fuisset insula, iam tres exstitisse terras continentes. Quodsi terrae motu ingenti insula fuisset absumpta, continentis figura omnino mutata, iam civitas tum floruisset Aegyptiorum et occidens esset frequentata Europae pars. Omnium autem ineptiarum haud scio an ulla hac sit maior opinione. Neque verisimilis est narratio de Oceano continenti circumdato, neque insulae loco reperiuntur vada, quae navigantibus sint impedimento*).

Atque ita in re difficili et contorta versatus est Martinus. Qui una cum eo a nobis nominatus est, doctus et intelligens existimator Platonis, Susemihlius, quamvis eximia laude ornet Martinum, in hoc tamen eum erravisse putavit, quod Plato dialogi lectori non studuisset fucum facere consulto, quod quidem ille esset opinatus**). Plato autem, inquit Susemihlius, personis, quas loquentes facit in dialogis, eas tribuit partes, quas consilio suo putaret convenire, Quod vero etiam a scriptoribus factum est historicis, ut totas fingerent orationes, hoc sine dubio eo maiore iure philosopho et dialogorum auctori concedendum est. Sin causam quaeramus, quae eum impulerit, ut Solonem eligeret ad partes auctoris suscipiendas, nos non praeterit, Solonem iter fecisse in Aegyptum, eumque ut Critiam propinquum, virum civitatis regendae peritum et poetam ingeniosum, idoneos fuisse, ad quos fabulae revocaretur origo. Sed consideremus consilium, quod in scribendo mytho Atlantico Plato secutus sit. Obversabatur eius animo civitatis exemplar, cuius imaginem nobis proposuerat in libris de Republica: quomodo pulcherrima haec respublica olim effecta esset, nos debebat docere Timaei, Critiae, Hermocratis trilogia non ad finem perducta. Neque sine industria tempus novem milium annorum a philosopho constitutum est, quia ea temporum ratio congruit cum mythica Platonis doctrina de decem milium annorum periodis magnis***). Quod deinde ex

---

wiederzuerkennen (l. c. p. 54); daß an dem kleineren Feste gar kein Peplus dargebracht worden, hat F. A. Müller Panathenaica richtig erinnert. cf. K. Fr. Hermann, Lehrbuch der gottesdienstlichen Alterthümer der Griechen p. 276. H. Th. Martin l. c. p. 305 sqq.

*) Martin. l. c. p. 332 de insulae situ: Utopie! nom expressif! inventé par le satyrique Rabelais, puis heureusement appliqué par le grand chancelier d'Angleterre au beau pays qu'il avait rêvé, ce nom grec semble fait tout exprès pour indiquer le seul degré de latitude sous le quel aient jamais pu se produire les poëtiques merveilles de la grande île Atlantide. On a cru le reconnaître dans le Nouveau Monde. Non elle appartient à un autre monde, qui n'est pas dans le domaine de l'espace, mais dans celui de la pensée.

**) Fortasse hoc non satis recte dixerit vir doctus: Contendit enim Martinus, non Platonem sed sacerdotes in hac re esse mentitos. cf. Mart. l. c. p. 321: Il n'est donc pas vrai que Platon, dans ce récit, ait déguisé à dessein, sous de faux noms et de fausses dates l'histoire récente de sa patrie. — Mais je ne pense pas non plus qu'il ait voulu traiter un sujet purement fictif. Il s'exprime avec l'accent de la vérité sur l'origine de cette tradition et sur la manière dont elle lui était parvenue. — Ne parlant jamais de lui-même dans ses dialogues, Platon ne pouvait indiquer plus clairement que son récit de la conversation de Solon avec le prêtre était fondé sur des témoignages et des documents authentiques. Je ne puis croire qu'il se soit appliqué à tromper ses lecteurs sur les traditions de la famille.

***) Fr. Susem. l. c. p. 389: Daher endlich die Zeitangabe innerhalb dieses Mythos selber, welche mit der mythischen Lehre Platons von den großen zehntausendjährigen Weltperioden zusammenhängt. Neuntausend Jahre sind seitdem verstrichen (Tim. p. 23 D. Crit. p. 108 E.), d. h. jener vollkommene Urzustand fand im Beginn derjenigen großen Periode statt, in deren letztem Zehntel die Zeit des Erzählers liegt, und welche also bereits ihrem Ablauf und damit einem neuen Umschwung der Dinge entgegeneilt, wodurch dann auch dem Hermokrates für seine Aufgabe bereits der Boden geebnet ist. Zugleich wird aber auch durch die Versetzung des Mythos in jene ungeheuer entlegene Zeit, bis zu welcher keine geschichtliche Erinnerung, und sei es auch die der

sacerdotum ore exiit narratio, non mirum nobis videatur: erat enim quaedam similitudo inter Aegyptios et veteres Athenienses, illorumque ratio populi distribuendi quodammodo etiam apud antiquissimos reperiebatur Athenienses*). Quod denique id inprimis egit philosophus, ut nobis poneret ante oculos, quomodo ad exemplar Platonis constituta civitas parva antecelluisset alteri potentia longe superiori, sed omni scelere coopertae, sine ulla dubitatione cogitavit de Graecorum historia deque laude Atheniensium militari, qua in bello contra Persas gesto fuissent insignes.

## IV.

Ad hunc modum statuit de Atlantide Susemihlius. Restat, ut nostrum interponamus iudicium, et quid nobis in mentem venerit, paucis, quam maxime poterimus, jam explicemus. „Et mihi quidem," inquit Heusdius, „scripta Platonis legenti, sic visum est fere, Platonem novum quoddam inducere poeseos genus studuisse: quin etiam, hoc ipso tractando, cum celeberrimis poetis de artis palma concertasse quodammodo**)." Certe Plato poeta fuit, neque solum in Critia, sed etiam in reliquis dialogis optimos adolescentes ita videmus repraesentatos, ut eos quasi viventes adspicere eosque cum Socrate colloquentes audire videamur. Plato poeta fuit, dicendi gravissimus auctor et magister, omnium, quicunque scripserunt, aut locuti sunt, sermonis suavitate longe princeps. Plato poeta fuit: quare insidet Critiae venustatis color vere poeticus, totaque dialogi oratio ita est comparata, ut, quae ille dixerit, divino quodam spiritu afflata esse videantur. Atque ut libere nostram fateamur sententiam, totum, quo de insula agatur, argumentum, a poeta confictum esse arbitramur, in quo nec verae nec verisimiles res contineantur. Quod autem Tiedemannus et cum eo Stallbaumius contenderunt, Critiam simillimum esse fabulae Romanensi, sane quam possumus approbare***). Verumtamen non temere philosophus fabulas suas scripsit: imo sub involucris, quae adhibet, saepe ipsius verum latet consilium. Quaerentibus igitur nobis, quid Atheniensium vetustissimorum civitate depingenda significare voluerit philosophus, a viris doctis iam satis est commemoratum, Platonem sub aspectum subiecisse optimae reipublicae exemplar, cuius in libris de Republica scriptis speciem et formam adumbrasset †). Aurea enim aetas renasceretur necesse erat, si cives philosophi praeceptis insti-

---

Aegypter, zurückreicht, wie dies gleichfalls Socher bereits richtig erkannt hat, dem Misverstand gewahrt, als ob hier eine wirkliche geschichtliche Thatsache zu Grunde läge, selbst wenn dieser Gedanke nicht durch die Bedeutung der mythischen Darstellungsform bei Platon, die zu nichts weniger als zu historischen Hypothesen angethan ist, von vornherein ausgeschlossen wäre.

*) Fr. Susem. l. c. p. 381: Zwar geht er (Platon) noch weiter: er benutzt nicht blos die im athenienfischen Cultus liegenden Elemente (Tim. p. 24 C. D. Crit. 109 E.), sondern allem Anscheine nach die wirklich historischen Ueberreste aus der altatheniſchen Verfassung, welche einen gewissen Anknüpfungspunkt für seine politischen Ideale darboten, nemlich die Spuren uralten attischen Kastenwesens, welche in den vier alten jonischen Phylen enthalten waren; aber er hütet sich wol dies ausdrücklich zu sagen. — Daß dagegen die beiderseitigen Kasten keineswegs die gleichen waren, kann ihm für seine Zwecke gleichgültig sein; an sich aber wird er diese Unterschiede so wenig verkannt haben, als man es für buchstäblichen Ernst zu nehmen hat, wenn er in den ägyptischen Kasten ohne weiteres die drei Stände seines Staates wiederfindet. (Tim. p. 24 A. B.)

**) Initia philosophiae Platonicae a. Ph. G. v. Heusde Vol. I. Traiecti ad Rh. 1827 p. 171 vol. III. p. 141, 170. Rob. Schramm, Plato poetarum exagitator. Vratislaviae 1830 p. 9 sqq. Groen v. Prinsterer, prosopographia Platonica. Lugduni 1823 p. 6 Cic. orat. 3, 19.

***) D. Tiedemanni dialogorum Platonis argumenta p. 339. G. Stallbaum. proleg. de Critia Platonis p. 375. K. Fr. Hermann l. c. p. 703: — während noch andere, wie Tiedemann und Hißmann es für einen bloßen Roman erklären. Daß übrigens letzteres auch schon im Alterthume gerade bei Platos Verehrern herrschende Ansicht war, und sie nur über den Zweck der Fiction dissentirten, zeigt Proclus in Timaeum p. 26 sqq.

†) Tiedemann. l. c. p. 338: Qui autem eius sit scopus, e Timaeo liquet, ubi ita inter se Timaeus et Critias partiuntur, ut Timaeus de generis humani prima origine et creatione, Critias de hominibus, legum ope formatis, disserat, et priscorum Atheniensium rempublicam, qualis fuisset, narrando, beatae alicuius et optimae reipublicae exemplar proponat. Qua in re videtur Platonis scopus fuisse, suas leges suamque rempublicam magis commendare, et fieri posse, quae optima existimasset, quasi facta iam olim essent, evidenter demonstrare.

tutisque uterentur. Ut igitur haec aetas revivisceret, cives pristino gauderent flore, per antiquissimae civitatis integumentum Plato iis suam rempublicam suasque leges commendavit enixe. Huc accedit, quod civium excitare voluit animos ad virtutes et facta praeclara imitanda, quibus maiores insignes fuisse traduntur. Quod vero Susemihlius existimavit, cogitasse Platonem de rebus Atheniensium contra Persas gestis, non omnino cum eo poterimus facere. Omnia enim, quae narravit philosophus de vetusta Atheniensium fortuna, ab eo exposita sunt, nulla Persici belli ratione habita, quamvis libenter viro docto concedamus, reperiri nonnulla, quae ad tuendam suam sententiam afferri possint. Etiam Martinus, quamquam similitudinem quandam in antiqua et recenti Atheniensium victoria cernere sibi videtur, negat tamen praecise, a Platone patriae historiam esse designatam. Hic enim certe, etsi res fictas relaturus, non tam longinquum locum Atlantidi elegisset, si egregie facta illorum habuisset in animo*). Atque remotum situm philosophus assignavit insulae, quam ultra columnas Herculis occidentem versus collocavit. Occidentem versus iam Homerus nos proficisci iubet, Ulixes igitur, fortunam tentans ac periclitans illuc ad sedem fabularum iter longum et mirabile dirigit**): occidentem versus Platone praeeunte deducimur ad insulam fortunatam. Sin sedem certam desideramus, in qua Atlantigenarum domicilium sit collocatum, non fugit nos, ab antiquis scriptoribus terrarum descriptionem haud raro non accurate sane et diligenter fuisse confectam. Sic ambitus quoque, quem Atlantis habuisse fertur, in Critia (p. 108, 118) diverso modo statutus est***).

Haec vero omnia, quae de insula accepisse se dicit Critias, a sacerdotum Saiticorum auctoritate repetuntur. Atque quis est, qui neget, inter Graecos et Aegyptios veterem usum et multam consuetudinem intercessisse? Inde iam antiquitus magni aestimabatur Aegyptiorum sapientia; manabat per totum orbem terrarum fama de eorum cultura animi, philosophia; interiorum et reconditarum literarum Aegyptii perhibebantur auctores; Graecorum viri sapientes iter in Aegyptum facere dicebantur, ut studiis se imbuerent liberalissimis; ipse Plato, ut fabulae suae vim quandam tribueret et gravitatem, Solonem doceri simulat per sacerdotes †). Quam vero iidem sacerdotes commemorarunt necessitudinem, qua Graecorum Minerva cum Aegyptiorum Neïth fuisset coniuncta, eam falsam esse plenamque erroris evidenter viri docti iam demonstrarunt ††).

Sic statuendum et iudicandum esse putavimus de Atlantide: sin paulo ante a nobis dictum est, nihil veri inesse videri in narratione a Platone exposita, hoc unum tamen opinionis nostrae adversariis concedendum est: temporibus a memoria nostra remotis de terris ultra Herculis columnas sitis multa praesensa reperiebantur, quorum cognitio et scientia posteris erat servata.

---

*) Noroff. l. c. p. 71 non eadem quidem de causa crediderat, insulae situm a Graecia non longe abfuisse.

**) G. W. Nitzsch, Erkl. Anmerk. zu Homers Odyssee 3. Bd. p. XXIV.: Wie Alexanders Züge später ihr (der geogr. Richtung) den Osten, die Völkerwanderung den höheren Norden eröffneten, so, meine ich, wurde die Wundersage der Griechen durch die Phönikische Schifffahrt in die westliche Richtung geleitet.

***) Al. Humboldt. l. c. p. 157.

†) N. Bach. l. c. p. 49: Ubi primum Aegyptus patuit peregrinis, quisquis Graecorum sapientiae gloriaeque domi iam comparatae fastigium imponere voluit, in mirificam istam, quam perhibent, terram profectus est. Aegyptiorum eruditissimi qui fuerunt sacerdotes, singulari quadem ratione Graecorum cupiditatem studiumque novarum rerum in suum commodum convertere potuerunt: vetustas Graecorum fabulas cognoscendi studiosissimi, omnem illorum antiquitatem ita conformarunt, ut ad Aegyptum primam politiorem humanitatem revocaverint, unde aliis gentibus, imprimis Graecis communicata sit.

††) Fr. Susemihl. l. c. p. 381: — sondern er (Plato) deutet nur durch eine Anknüpfung an den zu seiner Zeit verbreiteten (Martin. t. c. p. 307 sqq.), wenn auch, wie L. Georgii in Paul. Realencycl. (im A. Neith) gründlich nachgewiesen hat, durchaus irrigen Glauben an die Einerleiheit der Athena mit der ägyptischen Göttin Neith und an die darauf fußende gemeinsame Abkunft der Athener und Aegypter an, mit welcher er die einstige Gleichheit des Kastenswesens bei beiden Völkern in Verbindung bringt (Tim. p. 21 E. 23 D. — 24 B.).

---

Pag. 1 lin. 18 scribendum asservabantur, non asservarentur.